



8c. 99 a



Rc 99. 4











*Vol. 34. n. 1*  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE ACADEMICA  
DE

Differentiis iuris  
Romani & Germanici  
IN

# NOBILITATE ADOPTIVA

GRATIOSO ILLVSTRIS ORDINIS IVRECON-  
SVLTORVM INDVLTV

PRAESIDE

CAROLO GOTTLIEB  
KNORRIO

I. V. DOCTORE

PVBLICE DISPVTABIT

POLYCARPVS *Trensig*  
HALENSIS.

H. L. Q. C. DIE IVLII  
CIDIO CCXXI.

HALAE VENEDORVM,  
TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.



+



DISSSERTATIONE ACADEMICA  
DE  
Differentiis juris  
Romani & Germanici  
IN

NOBILITATE  
ADOPTIVA

GRATIOSO HILVSTRIS ORDINIS SVRECON  
SVR INDVLT



CAROLO OTTILIE  
KNORRIO

I. N. DOCTORE

PRÆSES DISPUTATIONIS

POLYCARPVS

HALLENSIS

M. L. D. DIE XVII

CICID COXXI

HABERE RECTORIBUS  
HUIS IOANNIS CRVNERI ACAD. TYPOG.





ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IOANNI PETRO

A

LVDEWIG,

POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI

A

CONSILII INTIMIS

ET

REGIMINIS

IN

DVCATV MAGDEBVRGICO,

IVRIS ET HISTORIARVM PROFES-

SORI ORDINARIO

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA,

TABVLARII PRINCIPALIS DVCATVS MAGDE-

BVRGICI ARCHIVARIO,

*HEREDITARIO DOMINO*

IN

GATTERSTAET,

CAETERA

DOMINO PATRONO ATQVE

FAVTORI SVO

*SVMMPERE DEVENERANDO.*


S. P. D.

POLYCARPVS Drensig.



ILLVSTRIS ATQVE EXCEL-  
LENTISSIME,

DOMINE, PATRONE ATQVE  
FAVOR SYMMOPERE DEVENERANDE,



Anta Tua sunt, VIR EX-  
CELLENTISSIME, in  
litterariam rempubli-  
cam merita, vt si ea, ne  
dicam enarrare, sed ora-  
tione saltim adsequi velim, non cape-  
rent illa chartarum angustiae. Norunt  
enim omnes, quanta cura quantaque

III-



indurata id egens vince, vt genuina  
iuris Germanici iterum in lucem pro-  
traheres fundamenta & ostenderes  
erudito orbi, diuersa olim fuisse Ger-  
manorum iura ab iis, quae patriae  
ICTI, Romanorum innutriti praece-  
ptis, obtrudunt rerum ignaris. Quam-  
obrem nihil magis in votis habent o-  
mnes illi, qui in litteris promouendis  
nauant operam, quam, vt benignissi-  
mum Numen TANTVM VIRVM  
diu sanum atque sospitem his rebus in-  
teresse iubeat, quo ipse indefessa cu-  
ra & vigiliis patriae tandem iura, quae  
hucusque tenebris fuerunt sepulta,  
pateant vniuersis. Cum autem mihi  
felici hoc tempore Iurisprudentiae  
studio vacare contigerit, & TVIS  
scholis ea potissimum debeam, quae  
de *Differentiis iuris Romani & Germa-  
nici in Nobilitate adoptiua* conscripsi,  
noli in malam interpretari partem au-  
dacious,



NOMINI has studiorum consecra-  
uerim primitias. Accipe igitur VIR  
EXCELLENTISSIME, eadem, qua  
me semper complexus es beneuolen-  
tia, hoc, quod TIBI offero, deuoti  
animi mei documentum. Et vt  
me meaque studia in posterum etiam  
TVO favori TVAEQUE gratiae ha-  
beas commendata, est quod ea, qua  
debet obseruantia, a TE peto atque  
contendo. Ego interim DEVM sup-  
plicibus veneror precibus, vt TE,  
VIR ILLVSTRIS, REGI, Aca-  
demiae, omnibus bonis & mihi et-  
iam omnigenae felicitatis genere cu-  
mulatum conferuet perpetuo! Dabam  
Halaë II. Cal. Iulii MDCCXXI.







quam inepte Icti interdum adplicauerint Latii leges ad Germaniae instituta. Id enim, quantum in nobis fuit, semper egimus, vt vtriusque iuris in hoc argumento *differentias*, solidis superstructas fundamentis, explicaremus. An vero id vbique, quod nostrarum erat partium, praestitum sit, tuo iudicio, B. L. relinquimus, & si forte sint nonnulla, quae Tibi non probentur, vt iis boni aequique consulas, officiose rogamus.

## DIFFERENTIA I.

*An adoptio faciat nobilem?*

Romano iure ad filium adoptiuum transibant *nobilitatis iura* (a): Germanico vero per adoptionem *non* acquiritur *nobilitas*, sed principis est scribere adoptato *nobilitatis codicillos* (b).

A

CAP.



## CAP. I. a

DE

*Nobilitate adoptiuorum apud Romanos.*

§. I.

**R**omanos tria constituisse nobilitatis genera, latius *Romani* deduxit *Praeses in Differ. Iur. Rom. & Germ. constituc* de Senat. & Consul. *Differ. IX. lit. h.* Venerunt *nobilitati* enim primo hoc nomine PATRICII, quos Romulus ceterique reges & consules legerunt, deinde EQVITES (†), & demum ii, qui IVS IMAGINVM erant consequuti. Priscis equidem reipublicae temporibus nemo, nisi patricio sanguine natus, maiorum ostendere poterat imagines, quia Romuli iudicio solis patribus relictum erat gerere magistratus. Postquam vero plebei etiam ad munerum honorumque admissi fuerunt societatem, *imaginum ius*, quod tribuebant magistratus curules, sunt adepti. Quo vero quis plures & vetustiores maiorum habebat imagines, tanto maior eius erat *nobilitas*. Factum inde est, vt eos, qui primum imaginum ius consequebantur, *NOVOS* vocarent Romani *v. cit. Dissert. pag. 55.*

(†) Neque est quare extimescamus eorum tela, qui credunt ignorasse Romanorum instituta nobilitatem equestrem. Confundunt enim illi nobilitatem imaginum cum patricia & equestri. Quare diuinando assequi non possumus, quae eos mouerit causa, quod LIVII, TACITI, CICERONIS aliorumque improprie accipiant verba, dum patriciae & equestris nobilitatis iniiciunt mentionem. Optandum itaque esset vt eius, quam defendunt, sententiae reddant rationes, illamque veterum cor-

roborent testimoniis. Quamdiu enim scribunt auctoritate, qui ab antiquis temporibus longissime sunt remoti, diu nos in ea persistimus sententia, LIVI TACITVM caeterosque proprie fuisset quotos, dum *nobilitatis equestris* fecerunt mentionem. Vt autem eo luculentius honus recte subduxisse rationes intelligi vniuersi, peculiarem Dissertationem *de fer. iur. Rom. & Germ. in nobilitate eq* conscribere in animum induximus.

A 2



adoptiuos  
fibant no-  
tatis iura.

§. II. Non solum autem ad naturales, sed ADOPTIVOS etiam liberos transiisse nobilitatis iura probatum dabimus. Notum enim est, contulisse adoptionem ius adgnationis l. 23. ff. de Adopt. cognationis l. 1. §. 4. unde cognati: & familiae l. 1. pr. de Adopt. Qui itaque haec iura consequerentur, dignitatis, quae competeat patri, reddebantur participes. Probat hoc VLPPIANVS l. 5. ff. de Senat. vbi Senatoris, inquit, filium accipere debemus, non tantum eum, qui naturalis est, verum ADOPTIVVM quoque, neque intererit, a quo vel qualiter adoptatus fuerit. & PAVLVS l. 6. pr. eod. Senatoris, inquit, filius est is, quem in ADOPTIONEM accepit. Confirmat id etiam TACITVS Lib. V. Annal. Cap. I. Iuliae exemplo: Iulia Augusta, inquiens, mortem obiit aetate extrema, NOBILITATIS per Claudiam familiam & ADOPTIONE Liuiorum Iuliorumque CLARRISSIMAE. Pater enim eius Liuius Drusus Claudianus insertus fuit adoptione in Liuios v. LIPSIVS in Not. num. 2. edit. Gronou. Quapropter OVIDIVS Lib. IV. Fast. ita canit:

*Hic ad te magna descendit origine mensis,*

*Et fit ADOPTIVA NOBILITATE tuus.*

Omnia igitur eius familiae, cui inferebantur INSIGNIA, SACRA, NOMINA aliaque IVRA ad eos transiisse constat. Ita enim VALERIANVS adoptauit, VOPISCO teste, AVRELIANVM, quod antequam fieret, hac oratione vsus est Vlpianus Crinitus: *apud maiores nostros, Valeriane, quod & familiae meae amicum & proprium fuit, ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt, ut vel senescentes familias & fetus matrimoniis iam caducos, substituta foecunditate prolis ornarent. Hoc igitur quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpianus Traianus in Hadriano,*  
quod



quod Hadrianus in Antonio, & ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt, iam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui auctoritate fecisti, censui esse referendum. Iube igitur, ut lege agatur sitque Aurelianus HERES SACRORVM, NOMINIS & BONORVM totiusque IVRIS. Nata inde est MESSALAE querela apud PLINIVM *Lib. XXXV. Cap. I.* qui aegre tulit, quod Scipionum imagines adoptione indigna dedecorari videret. Eo ipso enim indigitat PLINIVS, multos Scipionum familiae adoptione fuisse insertos, qui vel obscuris humilibusque nati essent parentibus, vel quorum nulla in rempublicam exstarent merita.

§. III. Cum vero haec omnia, quae ad adoptiuos transmittabantur, patriae potestatis fuerint effectus, operae pretium erit, de diuersis adoptionum speciebus pauca tantum, sine quibus haec rite explicari nequeunt, proferre in medium. Triplicem igitur significatum habebat adoptio. Cum enim homo sui iuris in alienam transiret potestatem, vocabatur adrogatio, quia curiatis Comitibus, per populum, solemnibus rogatione, cuius formulam memoriae reliquit GELLIVS *Lib. V. Cap. 19.* & quam dabimus in *marginē (\*)* fiebat. Et haec etiam adoptandi solemnitas relicta fuit populo, licet summa rerum peruenisset ad principes. Facile enim ea concedebant populo, quae vanum aliquod nomen libertatis eiusque continebant simulacrum. Tandem vero Comitibus a Campo ad Patres & Principes translatis, etiam hoc ius populo ademptum & principis auctoritate celebrari coepit adoptio *l. 2. pr. ff. de Adopt.* Quae lex est GAI I Cti, qui floruit tempore ANTONINI PII. Quamuis autem GAIVS sibi ipsi contradicere videatur in *Fragm. Institut. Lib. II. Tit. III. num. 4.* Si quis post factum testamentum, inquires, adoptauerit

*Triplici signifi-  
catu venit  
adoptio.  
Adrogatio fie-  
bat per popu-  
lum.*

*Explicatio l.  
2. pr. ff. de  
Adopt.*



APVD POPVLVM illum, qui sui iuris est, hoc est, qui patrem non habet, aut apud Praetorem illum adoptauerit, qui in potestate patris est, quasi ei filius natus sit, ita eius rumpitur testamentum, eique etiam sententiae subscribat VLPIANVS in *Fragm. Tit. VIII. num. 2.* ex illis tamen GAIJ verbis concludo, quod, cum vtriusque adrogationis principis & populi auctoritate celebratae, inii-  
 ciat mentionem, iam Antonini Pii tempore eandem vim habuerit adoptio principis auctoritate facta, quam habebat illa, quae curiatis fiebat comitiis. In quo sum eo fidentior, quia *l. 2. C. de Adopt.* Imperatores Diocletianus & Maximianus ita rescribunt: *Adrogatio ex indulgentia Principali facta perinde valeat apud Praetorem vel praesidem intimata, acsi per populum IURE ANTIQVO facta esset.* Iam igitur horum Imperatorum aevo in defuetudinem abierat mos, curiatis Comitiis per populum celebrare adoptionis ritum. Plura habet IOANNES VAN DE WATER *Obseru. Iur. Rom. Lib. III. Cap. 16.* & SCHVLTINGIUS ad *Caii I. L. I. Tit. V. n. 4. & L. II. Tit. III. n. 30.* Deinde adoptio iure Iustiniano, est vel plena vel minus plena. Illa erat, cum filiusfamilias trina eaque imaginaria venditione in alterius transferebat potestatem HVBERSVS in *Praelect. ad I. de Adopt. num. 1.* SCHVBARTVS de *Fatis Iurispr. Rom. Exercitat. I. §. 24. seqq.* Huius vero nullus olim apud Romanos erat vsus HVBERSVS *c. l. num. 3.* & Illustr. DN. THOMASIVS in *Scholiis*, sed patriae potestatis iura omnia transferebantur in adoptantem. Donec tandem Iustinianus §. 2. *I. de Adopt.* disposuerit, filium ab extraneo adoptatum debere in naturalis patris potestate remanere & ab intestato consequi tantum patris adoptiui successionem. *Sed hodie, inquit, ex nostra constitutione, cum filiusfamilias a patre naturali extraneae personae*

de adptione  
 lena & mi-  
 nus plena

Minus plenam  
 nuenit Iusti-  
 nianus.



nae in adoptionem datur, iura patris naturalis minime dissoluantur, nec quidquam ad patrem adoptiuum transit, nec in POTESTATE EIVS est: licet ab intestato successionis iura ei a nobis tributa sint. Quae cum ita se habeant, facile est ad intelligendum, filium familias ab extraneo adoptatum, eius dignitatis atque honoris non fieri participem, sed eum patris naturalis nomine sacrisque uti.

(\* *Velitis iubeatis Quirites uti Lucius Valerius Lucio Titio tam iure legeque filius sibi fiet, quam si ex eo patre matreque familias eius natus esset, utique ei vitae necisque potestas in eo fiet, uti patri endo filio est: haec ita, uti dixi, ita vos, Quirites, rogo.*

## CAP. II. b

DE

*Nobilitate adoptiuorum apud Germanos.*

## §. I.

**A** PUD GERMANOS olim nullus adoptionis usus. *Nulla olim apud Germanos Adoptio*  
 Innuit hoc TACITVS de M. G. Cap. XX. vbi de eorum succedendi iure ita scribit: *Heredes successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrum, auunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus. Nec VLLA ORBITATIS PRETIA.* Quid vero aliud eo ipso indigitat TACITVS, quam ignorasse adoptionem Germanos atque respexisse eos, quoad successionem, sanguinis vinculum, quod a iure Romano, cui Germanorum mores sedulo opponit Tacitus, plane erat diuer-



diuersum. Nam obseruarunt viri doctissimi REHNANVS & PICHENA in *Not. ad Taciti libellum*, peruersum apud Romanos irrepsisse morem, vt orbos atque coelibes in magno pretio haberent adolescentes, vt ab iis adoptati, opulentam eorum consequerentur hereditatem. Quare etiam CICERO de eiusmodi hereditate ita loquitur: *Quem nutum locupletis orbi senis non obseruat? loquitur ad voluntatem, quidquid denunciatum sit facit, assentatur, adsidet, miratur.* Haec vero Germanorum integritati erant contraria, nullaque apud eos successio, quae fictionis nitebatur fundamento, sed *sanguinis* respiciebant *vinculum*, ita, vt nemo, quem volebat, post mortem sibi eligere posset heredem, sed proximos adgnatos cognatosque *heredes* haberet *necessarios*. Postquam vero Germaniae populis innotuerunt Romanorum leges & instituta, ac FRANCII, GOTHII aliaeque Germaniae gentes, Romanorum terras victricibus peragrarunt armis sibi que illas subicerunt, eorum in multis sequuti sunt vestigia CONRING de *O. I. G. Cap. XX. p. 106. seqq.* SCHILTER *Exerc. XI. §. 8.* atque adoptionum vsus sensim sensimque coepit introduci. Ita enim apud FRANCOs permissam fuisse adoptionem iis, qui liberos non habebant factamque traditione bonorum, eorum reseruato vsufructu, coram rege vel Comite & Scabinis vel *missis dominicis*, qui ad iustitias faciendas in prouincias mittebantur *ex Capitul. Caroli M. Lib. VI. Cap. 207.* constat, v. du FRESNE *Glossar. v. Adoptio.* Formulas harum adoptionum exhibet BALVZIVS *T. II. Capitul. p. 413. 450. & 526. seqq.* Neque desunt exempla, quae euincunt adoptionis apud Francos aliosque populos vsu. Patet enim ex AIMONIO *Lib. III. Cap. 78.* Guntramum Childebertum nepotem adoptasse. *conf. SCHVRTZFLEISCH Diss. V. pag.*

bactis Romanorum prouinciis adtiones inductae.



19. & ex REGINONE ad A. 887. constat, Carolum Crassum Ludouicum suscepisse ad hominem sibi ad-  
optium filium eum coniunxisse. Plura collegit ex-  
empla KVLPIVS de *Adopt. & Emancipat. Principum*  
§. 32. pag. 164. *Opusc.*

§. II. Non vero Romanorum semper & vbique *De Adoptio*  
solemnitates seruarunt Germaniae populi. Notum *per baptis-*  
enim est, adoptionem per BAPTISMVM a veteribus *mum.*  
christianis fuisse introductam v. Illustr. DN. BOEHMER  
in *Not. ad I. de Adopt. lit. f.* Adoptione per ARMA olim *De adoptio*  
vtebantur GOTHI. Hinc etiam Theodoricus Gotho- *per arma*  
rum Rex per *arma* adoptium sibi fecit filium Heru-  
lorum Regem. Descripsit nobis hunc morem CAS-  
SIODORVS *Lib. IV. Epist. 2.* cuius etiam verba Con-  
stitutionibus Imperial. inseruit GOLDASTVS *Tom.*  
*III.* Originem vero debere hunc adoptandi ritum pri-  
scis Germanorum moribus, de quibus testis est TA-  
CITVS de *M. G. Cap. XIII. Arma*, inquit, *sumere*  
*non antea cuiquam moris, quam ciuitas suffecturum pro-*  
*bauerit. Tum in ipso Concilio vel Principum aliquis vel*  
*Pater vel propinquus scuto frameaque iuuenem ornant,*  
*animaduenterunt eruditi v. Observ. Hall. Tom. II. Ob-*  
*serv. 3. §. 1. seqq.* Erat etiam Francis solempne, per *Per barbam*  
*barbae tactum* vel per eius *praecisionem* sibi adoptare  
filios BESOLDVS v. *Angewünschte Kinder.* Deinde  
per *hastam* adoptabant Franci. Cuius adoptionis ex- *Per hastam*  
emplum memoriae reliquit AIMONIVS *Lib. III.*  
*Cap. 68.* vbi Guntramus Childebertum nepotem ad-  
optans, *hastam*, quam manu tenebat, illi tradidit  
eumque ita adoptauit. De ea denique que per *capillum* *Per capillum*  
vel *comam* fiebat adoptione, testatur PAVLVS DIA-  
CONVS *Lib. VI. Cap. 53.* Circa haec, inquit, tempo-  
ra (loquitur vero de Seculo Carolingico) *Carolus Prin-*



*ceps Francorum Pipinum suum filium ad Luitprandum direxit, ut eius iuxta morem CAPILLVM susciperet, qui eius CÆSARIEM incidens eius pater effectus est. Sed haec omnia latius deducere instituti non permittit ratio.*

*in adoptione  
transierit no-  
bilitas.*

§. III. Cum igitur satis probatum sit atque eui-  
ctum, varios adoptandi modos obseruasse Germaniae  
populos, noua exurgit quaestio: An nobilitatis *de iure*  
olim ad adoptiuos transierit? Notandum vero est,  
Germanos semper nobilitatem natalibus aestimasse,  
neque fictionibus, quibus admodum delectabantur  
Romani, indulgisse, adeo, ut nemo nobilis, nisi vel  
parentibus nobilibus procreatus, vel noua principis  
gratia hac praerogatiua fuerit decoratus. Magna enim  
id olim cura egerunt Germani, ne plebei & infimae  
faecis homines nobilium iura inuaderent. Hinc fa-  
ctum, ut etiam capitis poenam statuerent in eos, qui in  
pangendis nuptiis suae fortis transilirent limites *v.*  
*Diff. iur. Rom. & Germ. de Sen. & Con. Diff. IX. lit. d.* Ut  
itaque facile intelligamus, nemini in Germania permis-  
sum fuisse, cuiquam conferre nobilitatis praerogatiuam,  
quam illi, qui fons erat omnis nobilitatis, hoc est im-  
peratorii. Quem vero fugit, eos regulariter olim mi-  
litiae dedisse nomen, qui genere *militari* erant oriun-  
di? Probat hoc SCHILTERVS *Codice Iur. Feud. Alem.*  
*Cap. I. §. 22.* ex epistola PETRI de VINEIS *Lib. VI.*  
*Epist. 17.* in qua FRIDERICVS II. testatur, *non pos-  
se fieri militem, nisi qui de genere militum sit natus (\*).*

*Non omnes  
nobiles nobi-  
tes.*

(\*) Integras Friderici II. adscribimus  
terras: Notum facimus vniuersis quod A.  
e N. Maiestati nostrae humiliter supplica-  
erit, ut cum velit fieri MILES & PA-  
ER suus MILES NON esset, sibi exinde

*largiri licentiam dignaremur. Nos autem,  
ut fidei suae meritum, & suorum per impe-  
rialis gratiae praemium, imperialiter com-  
pensemus supplicationibus illius benigniter  
inclinati, de potestatis nostrae plenitudine,*

Qui



Qui vero miles, etiam erat nobilis. Quapropter singularis gratiae erat documentum, quod Fridericus nobilem, cuius pater miles non fuerat, militari donaret cingulo.

§. IV. Clypeis autem militaribus omnem apud Germanos distinctam fuisse nobilitatem constat, & horum septem fuisse deducit SCHILTERVS *c. l.* Licet vero ille, qui de *genere militum* erat natus, non statim esset miles, nobilium tamen adscribebatur classi. Omnes enim primo nobiles erant *Armigeri, Scutiferi, Militares, milites gregarii, Schild-Knapen, Wappner, Edle Knechte. Edle Knapen.* A quibus tamen iterum erant distincti illi, qui septimo gaudebant clypeo & *semper Leute* vocabantur. His enim non *militum* dabatur nomen, sed *equitantes, Reuter, Reusige Knechte* denominabantur HERTIVS *de Feudo nobili sect. III. §. 4.* SCHILTERVS *c. l. §. 23.* & nihil militare ab iis exigebatur, quapropter *duella* etiam subterfugere poterant SPELMANNVS *v. Burgensis.* Ipsos autem saepius imperatores aliosque principes *militari cingulo* fuisse decoratos historiarum perhibent monumenta. Ita enim WILHELMVS Hollandiae Comes noluit imperii conscendere solium, donec militum ordini, haecenus *armiger*, fuerit sociatus. *Chronicon magnum Belgicum ap. PISTORIUM p. 244.* Eodem *militari cingulo* CONRADVS Friderici II. filius, latus suum ornari voluit, *licet ei, uti ipse loquitur apud PETRYM de VINEIS Lib. III. Epist. 20. non deessent militaris honoris auspicia.* Et de FRIDERICO

Et nobiles  
clypeis mili-  
taribus disti-

Imperatores  
militis fac-

sibi concedimus potestatem: quod quamquam PATER suus MILES NON FVERIT, & nostris CONSTITVTIONIBVS caueatur, quod MILITES FIERI NEQVEANT, QVI DE GENERE MILITVM NON

NASCANTVR: ipse tamen de culminis stri licentia decorari valeat cingulo militum mandamus: quatenus nullus est, qui ipsi super hoc de caetero molestare vel impedire praesumat.



Landgrauio Thuringiae testatur *historia de Landgr. Thur. cap. 145.* eum militem esse factum cum multis aliis de nobilibus atque militaribus. Quae aliaque exempla collegerunt SCHILTERVS & HERTIVS l. c. Satis vero ex his omnibus adparet, quae fuerit olim inter milites, militares, armigeros, scutiferos ceterosque distinctio. Illi enim solemni ritu, data alapa, quae militaris vocabatur v. du FRESNE v. *Alapa militaris, cingulo militari* donabantur, licet hi aequae ac illi nobili profapia essent oriundi. Vt itaque cum plebeio nobilitatis *deignu* conferret Imperator, non eum statim militari cingulo donaret, sed pro diuerso, quem ei indulgebat, nobilitatis gradu, clypeum militarem concederet. Quamuis enim interpreti iuris *Prou. Saxon. cingulum militare* idem sit, quod *clypeus*, ex iis tamen quae a nobis dicta sunt, satis adparet, illis primum *cingulum militare* collatum fuisse, qui nobilium ordini iam erant adscripti. Quam ob causam etiam FRIDERICVS I. apud VRSPERGENSEM ad A. 1187. expresse disponit: *de filiis quoque presbyterorum, diaconorum, rusticorum statuimus: necingulum militare aliquatenus assumant, & qui iam assumerunt per iudicem prouinciae a militia pellantur conf.* Illustr. GVNDLINGIVS P. XI. *Gundlingian. p. 8. §. 7. seqq.* Quae pauca speciminis loco adduximus, ad ostendendum, quod, cum plane diuersa apud Germanos ac Romanos nobilitatis fuerit ratio, nulla etiam patriis moribus ADOPTIVA NOBILITAS.

nobilitandi  
s solus habet  
esur, neque  
ansit ad-  
tione.

§. V. Hoc itaque *nobilitandi ius* in Germania semper ad Caesaris *reseruata* pertinuit, neque vnquam concessum fuit priuatis, illud *adoptione* transferre ad alios Illustr. DN. THOMASIVS ad *Strauchium Dissert. IV. Tb. 18.* & ad *Huberum de Adopt.* Quam ob rem etiam



etiam EIBENIVM, minus recte subduxisse hic rationes, in *Differ. iur. Rom. & Germ. de Senat. & Consul. Diff. IX. lit. g.* probauimus, quae propterea hic repetenda non sunt. Et hoc hodie adhuc seruari facile patet ex consueta nobilitandi formula, qua ad eos tantummodo extenditur nobilitas, qui ex iusto matrimonio fuerunt procreati: *So haben wir gedachten Titium samt seinen EHELICHEN LEIBES ERBEN in den Stand des Adels erhebet, darzu gewürdiget, geschäpffet, geadelt &c.* Quae cum ita sint, nemo ibit inficias, principis esse, scribere adoptato nobilitatis codicillos, eique nomen, arma ceteraque patris adoptiui concedere insignia. Solent tamen interdum principes, cum nobilitatis iura bene meritis conferunt, eis etiam ius adoptandi indulgere, id quod illustri exemplo comitis REINHARDI de HOMPESCH probauit *Praeses c. l.* Et dubium non est, quin hoc casu eadem nanciscantur iura adoptiui, quae nancisci potuissent, si iusto interueniente matrimonio fuissent geniti.

§. VI. Quae cum ita se habeant, frustra sunt NOLDEN *de Nobilit. Cap. IIX. n. 71.* HAHNIUS *ad WENSBEC de Adopt. n. 6.* TREVTLERS *de Adopt. Thes. X. lit. a* ibique BACHOVIVS, KNIPSCHILD *de fideic. fam. nob. Cap. VIII. n. 409.* alique ab his citati, cum in ea sunt sententia, illum consequi nobilitatem, quem adoptat auus maternus, quia 1) adoptione augetur dignitas *l. 35. ff. de Adopt. & l. 5. de senat.* 2) quia adoptio conferat ius adgnationis *l. 23. de Adopt. & familiae l. 1. eod.* Sed hae rationes, quibus firmant sententiam, ex iure Romano sunt desumptae; ius Romanum vero, cum euictum sit ad iura referri maiestatica, concedere nobilitatem, nemini id, quod solius est principis, indulgere potest. Quid quod ne eo quidem casu ab

Quod contra nobilitati formula in cat.

Interdum indulgetur nobilitatis ius adoptandi.

Ab auo materno adoptat non fit nobilitas



auo paterno nepos in filii locum adoptatus, adipiscatur nobilitatis praerogatiuam, si auus filio vel nepote iam nato, ea a principe fuit decoratus, cum ad liberos naturales eo tempore, quo patri nobilitatis codicillos scribit princeps, iam genitos, non extendatur, quod in *Diff. de Senat. & Consul. Diff. IX. lit. f.* latius de ductum.

in inter no-  
s frequens  
optio.

§. VII. Quamquam vero testis sit CASPAR LERCHIVS de ordine Equestri P. I. n. 12. adoptionem olim inter nobiles in vsu fuisse, ita, vt deficientibus legitimis, adoptiui acciperent arma, nomen ceteraque iura & insignia: *Daß der Reichs freye Adel, inquit, zu Erhaltung Ritterlicher Geschlechter, Nahmen, Schild, Helm, Haabe und Güther, das Mittel der ADOPTION etwann sehr in Brauch gehabt, indem viel tapffere Ritters Mann, wann sie ihres Geblüths, Schild, Helm und Nahmens Absterben und Untergang gesehen haben, ihre nächste Freunde oder dero Kinder zu rechten Erben angenommen, daß, wann sie ihres Nahmens und Geschlechtes nicht gewesen, jedoch ihren Nahmen, wenn sie verstorben, mit Schild und Helm tragen auf und annehmen mægen, darum auch ihnen die ERWORBENE oder EREBETE Güther angewiesen worden. Welche rühmliche Vorsicht und Vertraulichkeit unter denen Befreundten und Adelichen Familien in folgenden Zeiten übel nach gelassen hat, und findet man nicht wenige Geschlechter, die von andern mit Schild, Helm, Nahmen auch ansehnliche Güter geerbet, eingenommen und von KAYSERL. MAJESTÄT RESPECTIVE erlanget haben. Als die Cämmerer von Worms von den Edelen von Dalberg, die Greiffencloe von Vollraths und andere. Patet tamen ex his LERCHII verbis, concessum fuisse nobilibus, bona, quae allodii nomine iure optimo*  
maximo



maximo possidebant, ad heredes & sic adoptiuos quoque, deficientibus legitimis successoribus, transmittere **HERTIUS** de Feud. oblat. P. I. §. 2. De feudis enim pro lubitu disponere non posse vasallum, satis constat, sed tunc Caesaris est necessarius consensus, si eis inuestiri debet adoptiuus. Id quod etiam ipse confirmat **LERCHIVS** his verbis: *Daß Sie ansehnliche Güter ererbet, eingenommen und von KÆYSERL. MAJESTÄT RESPECTIVE erlanget haben.* Plura autem de successione adoptiuorum in feudo dicere, nostri instituti non permittit ratio. Neque etiam hoc casu, de quo loquitur **LERCHIVS**, transferebatur *ius nobilitatis*, quia *casum* supponit, quo adoptiui iam illa dignitate erant decorati & eam non primum imperatoris beneficio consequi habebant necesse.

§. VIII. Antequam vero his colophonem imponamus, id silentio praeterire nolumus, quod de **BRA-**  
**BANTIS** refert **ANSELMO** Cod. Belg. voce *Edel*: quod Apud Brabantos adoptio transit nobilitas. apud eos per *adoptionem* nobilitas & titulus eius, qui adoptat omniaque insignia adquirantur adoptiuis. Quod si verum est testimonium, non dubitamus, quin vel *lege* id sit introductum, vel *consuetudine*, quae tamen hoc casu vim legis habere nequit, quia ea, quae sunt *iuris maiestatici*, sibi praescriptione vindicare nequeunt principi subiecti; sed expressa huius necessaria est voluntas. Apud Italos etiam iuris est, vt omni-  
Quod etiam de Italis refertur. um gentiliium & adgnatorum accedat consensus, eorumque requiratur praesentia, si quis per *adoptionem* acquirere velit *nobilitatis δειγμα*, id quod ex **SELDENI** *Tr. Titles of honor. P. II. Cap. VIII. §. 3.* refert **FELTMAN** de *Titulis honorum Cap. XV. §. II.*

DIFFE-



## DIFFERENTIA II.

*Romano iure a plebeio adoptatus amittebat nobilitatem, quod Germanico secus.*

Romano iure filius a *plebeio* adoptatus amittebat nobilitatis iura, id quod tamen postea mutatum fuisse constat (c): Germanico vero nobilitatem non aufert *adoptio* (d).

## CAP. I. c

## DE

*Amissione nobilitatis per adoptionem a plebeio factam.*

## §. I.

patris iura  
transibant ad  
adoptiuos.

quod tamen  
et iis, qui a  
plebeis ado-  
cantur, negat  
auius.

**C**um enim *Differ. I. Cap. I. §. 3.* dictum sit, tribuere adoptionem patriae potestatis iura, facile est ad coniiciendum, patris *conditionem, nomen, sacra, iura* sequutos fuisse adoptiuos, cum *ius familiae l. 1. ff. de Adopt. & adgnationis l. 23. cod.* ad eos transferit. Licet vero iuris Romani fundamento haec nitatur decisio, in alia tamen omnia ire videntur leges. Nam *l. 6. §. 1. ff. de Senat.* PAVLVS, *A senatore, inquit, filius in adoptionem datus ei, qui inferioris dignitatis est, quasi senatoris filius videtur, quia non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis, non magis quam ut consularis desinat esse.* Et *l. 23. ff. de adopt.* idem ICTVS ait, *per adoptionem dignitas non minuitur, sed augetur: Vnde senator*



*senator etsi a plebeio adoptatus est, manet & senatoris filius.* Vt itaque his probe perspectis, dubium forte non immerito videri possit, an vnquam Romanorum institutis fuerit introductum, vt filius adoptiuus conditionem patris adoptiui sequatur pristinamque adoptione amittat dignitatem. Sed salua res est. Nemo enim non intelligit, patriae potestatis effectum hoc inuoluisse & cum adoptio filium familias effecerit adoptiuum eumque nominis sacrorumque patris adoptiui reddiderit participem, etiam illius eum sequutum fuisse conditionem. Non solum autem Latii institutorum hoc euincit ratio, sed supersunt etiam exempla, quae nouum nostrae sententiae conciliant robur. CICERO enim *Orat. pro domo de CLODIO*, hoste acerrimo, testatur; eum patricio genitum fuisse sanguine atque senatoria ornatum dignitate, sed adoptione exiisse e patriciis & ad plebeios se contulisse, quia Fonteius, cui se dedit adrogandum, e plebeiorum classe erat oriundus. Non vero heres patris adoptiui est effectus neque eius consequutus sacra, quod tamen, Cicerone teste, adoptionis requirebat ratio. Qui etiam propterea his alloquitur Clodium verbis: *Tu neque Fonteius es, qui esse debebas neque patris heres neque amissis sacris paternis IN HÆC ADOPTIVA VENISTI. Ita contaminatis sacris, perturbatis gentibus & quam deseruisti, iure Quiritum legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es eius filius, contra fas, cuius per aetatem pater esse potuisti.* Clarissime vero ex his Ciceronis patet verbis, nullo iure hunc adoptandi ritum fuisse celebratum, tam propter alias rationes, quas Cicero fusius in *ipsa Orat.* prosequitur, quam eam, quod non amiserit sacra paterna & in adoptiua venerit. Quod si itaque hanc quoque ob causam nulla fuit adoptio, nemo

Cui respon-  
 tur,  
 1) rationi

2) exemp.



non intelligit a plebeis adoptatos, amissis sacris pater-  
nis, in adoptiua venisse. Et mihi admodum est opi-  
nabile, familiam Octavianam olim a Seruio Tullio in  
patricias transductam, adoptione se ad plebem con-  
tulisse v. SVETONIVS in *Augusto Cap. II. n. 1.* SIGO-  
NIVS de *Iure Ciu. Rom. Lib. I. Cap. 7.* qui etiam de no-  
minibus Rom. c. 6. ex antiquitatum monumentis eruit  
exemplum de Scipione, qui adoptatus a Q. Metello  
non tantum se, sed totam Scipionum familiam effecit  
plebeiam.

luerunt Icti  
Pauli sen-  
tia rece-  
e.  
I existima-  
t eos reti-  
sse digui-  
em.

§. II. Sed cum haec omnia contradicant, PAVLO  
ICTO l. 6. de *senat. & l. 23. ff. de Adopt.* pro piaculo habue-  
runt ICTI, ab eius vel latum vnguem recedere senten-  
tia. Et hanc ob causam in eorum, qui alteri se da-  
bant in adoptionem, positum fuisse existimant arbi-  
trio, an voluerint e patriciorum exire numero & ple-  
beiorum se sociare ordini, vt forte tribuni plebis eli-  
gerentur, an vero pristinae dignitatis retinere praero-  
gatiuam KNIPSCHILD de *Fideic. famil. nob. c. VIII.*  
n. 535. Quae tamen nobis non probatur opinio. Pri-  
mo enim satis superque dedimus demonstratum, patriae  
potestatis iura transiisse ad patrem adoptiuum & eo  
ipso patris eum sequutum fuisse conditionem. Deinde  
etiam CICERO non adserit, CLODIVM plebeiorum  
se sociare non potuisse classi, sed adoptionem modo  
legitimo factam non esse conqueritur, quid quod cla-  
rissime adfirmet, eum debuisse ad *sacra adoptiua* tran-  
sire eiusque gentem hac contaminatam fuisse *adoptione*.  
Ex quibus itaque facile est ad concludendum, roma-  
norum instituta quibus patris NOMEN, SACRA, IVRA  
consequabantur adoptiui, olim diuersa fuisse ab iis,  
quas PAVLVVS nobis reliquit, legibus. Neque illud,  
quod iterum mouet dubium KNIPSCHILD c. l. n. 435.  
de

torum vero  
tentia reii-  
ur.



de TIBERIO, cuius auus maternus insertus fuit Liuiorum familiae, nostram destruit sententiam. Notum enim est, Patris conditionem sequutos fuisse liberos. Licet igitur maternus auus adoptione transferit in Liuiorum familiam plebeiam, eo tamen ipso Tiberius, qui e Claudiorum oriundus erat stirpe, non nominis sacrorumque maternorum fiebat particeps, id quod iuris romani dispositioni plane erat aduersum. Paternum enim genus, nomen sacraque paterna sequebantur liberi *l. 1. ff. ad Municip.*

§. III. Maioris sane momenti illud est, quod nobis obiici posset, dubium; forte de adoptione *minus plena*, quae non tribuebat patriam potestatem neque quod inde sequitur, ius familiae h. e. nomen, sacra omniaque iura, esse accipiendum Paulum Ictum. Si enim haec firmo niterentur talo, facili negotio Pauli verba cum priscis romanorum conciliari possint institutis. Sed *Differ. I. C. I. §. 2.* probatum a nobis est, Romanos adoptionem, quae non in patrem transferebat patriae potestatis iura, ignorasse, & IUSTINIANUM primum adoptionem *minus plenam* excogitasse, id quod verba: *§. hodie nostra constitutione*, satis superque indigitant. Quae igitur causa est, quare credimus, diuortium postea fecisse imperatores ab eis, quas tulerant Romani, legibus eosque noluisse, vt adoptione minuaturn dignitas, sed potius augeatur. Ne enim forte beneficium cuiquam esset damnosum, quod eo sane contingebat casu, si patricius opulentam orbi cuiusdam plebei adoptionis iure consequeretur hereditatem, disposuerunt, vt retenta pristina dignitate, cetera patris adoptiui ad eum transfirent iura.

*Neque de optione mi plena loquitur Paulus,*

*quam prim excogitauit Iustinianus*



## CAP. II. d

*Germanico iure non amittunt a plebeio  
adoptati nobilitatem.*

## §. I.

plebeio ad-  
tatus non  
nobilizatur.

im diuerfa  
ud Germa-  
s ac olim  
ud Romanos  
bilitatis  
tio.

**P**ostquam *Differ. I. c. 2.* satis superque probatum atque euictum, priuatorum non relinqui arbitrio, vel *conferre* cuiquam vel *adimere* nobilitatis praerogatiuam, cum ad *iura maiestatica* pertineat scribere ignobili nobilitatis codicillos; facile quilibet animaduertit, Germaniae legibus atque consuetudinibus nobilem adoptatum a plebeio, non amittere nobilitatis schemata. Plane enim diuersa a Romanorum legibus est nobilitatis in Germania ratio. Equidem satis habemus perspectum, non incognitam fuisse Romanis *nobilitatem gentilitiam*, quae competebat illis qui patriciorum ordini erant adscripti. Patricius itaque procreabat patricium, neque quisquam hac ornabatur dignitate, nisi in eorum ordinem *regum, consulum, aliorumque* decretis fuerat cooptatus vel *adoptione* patriciae genti insertus. Cum enim patricius adoptaret plebeium, dubium non est, quin omnia patris adoptiui ad eum transferint iura nobilitatisque praerogatiua, id quod veterum scriptorum constat testimoniis *v. Diff. I. c. 1. §. 2.* legumque nititur fundamento. Quodsi vero ille, qui patricio sanguine erat natus, e patriciis exibat, non pristinam retinebat dignitatem, sed patris plebei nomen ceteraque eius adipiscebatur iura. Quae omnia a Germanorum moribus diuersa. Romani enim id praecipui dabant patribus, ut ubique conditionem eorum sequerentur liberi, cum *adoptio imitetur naturam* atque



atque *familiae & adgnationis* ius tribuat liberis. Nostris autem moribus Principes concedunt auferuntque iis, qui ea sunt indigni, nobilitatem. Licet non eamus inficias, etiam nobilem exuere posse nobilitatis *deſynua*, si eam vitae non sequitur conditionem, quam requirunt ab eo patriae leges. Et hoc est, de quo *S. seqq.* copiosius differendi dabitur occasio.

§. II. Quae cum ita sint sole meridiano adparet clarius, eum qui adoptatur ab homine plebeio sua retinere iura neque perdere nobilitatis *deſynua*. Noli vero existimes, nos eam animo imbibisse opinionem, quasi natet in venis nobilitas, quoque quis sit nobilior, eo limpidius etiam fluere incipiat sanguis adeoque ea nullo modo possit extingui, eradicari, extirpari. Satis enim scimus, nihil aliud esse nobilitatem, quam praerogatiuam a maiestate concessam, quae iustis interuenientibus nuptiis cum *ipſo sanguine* transit ad liberos. Et hanc praerogatiuam, nostro quidem iudicio, tamdiu retinet nobilis, donec eam illi vel auferat princeps, vel alia quaque ratione ea reddatur indignus. Quodsi itaque nobilis infamia forte fuerit notatus, vel leuissimam vitae elegerit conditionem, quis eum, cum imagines maiorum turpibus artibus atque pessimis conspurcauerit facinoribus, sociabit nunc nobilium classi, qui tuentur auitae nobilitatis praerogatiuam? v. NOLDEN *de Nobil. Cap. XVII. n. 160. seqq.* Qui varias recenset artes, per quarum exercitium auferatur nobilitatis *deſynua*. Sed haec omnia ex singularum prouinciarum moribus & statutis sunt repetenda. Ita de SAXONIA testis est CARPZOVIUS *P. II. Const. 6. d. 4. n. II.* vbi per *Ordinat. Augusti Electoris de an. 1555.* probat, quod per eas artes, quae non decent nobiles, amittatur nobilitas v. FABER *in Cod. L. IX. Tit. 29. c.*

Non nata  
venis nob  
tas.

Qua ratio  
amittatur  
nobilitas.



2. d. 18. n. 1. TIRAQVELLVS de nobilit. C. XXVII  
 seqq. vbi multa de iis, qui perdunt nobilitatem, colle-  
 git. Quae vero omnia latius persequi nostrum non est.

avilissimo  
 ine ado-  
 us amittit  
 litatem.

§. III. His igitur permotus rationibus, vix sibi  
 quisquam persuadebit, eum, qui in adoptionem se de-  
 dit vltimae faecis homini vespillon, equisoni, stabu-  
 lario, ve ei, qui pari cum his ambulat passu, nobilium  
 gaudere priuilegiis & adpellari *Wohlgebohrner*, *Hoch-  
 Wohlgebohrner Herr*, licet nunc equisonis vespillonis-  
 ue filii nomine veniat vniuersis. Quae omnia si eis  
 vindicaremus iura, vix ipsos a risu se temperaturos  
 credimus patres, quod adoptione nunc sibi quaesue-  
 rint filios illustres, generosos quique tanto interuallo  
 post se relinquant ciues primarios atque honestos, &  
 vitam agant in excelsis, licet cum asinis equisque vi-  
 uant quotidie. Neque illud nos mouet, quod forte  
 obiiciet quispiam, per adoptionem auferri non posse  
 nobilitatem, quae ex singulari principis concessa ei sit  
 gratia, quia diuerso ab antiquis romanorum institutis  
 vtamur iure, neque priuatorum sit relictum arbitrio,  
 vel conferre cuiquam nobilitatem, vel illa iterum eum  
 exuere. Quemadmodum enim huius notae homini  
 numquam indulisset princeps nobilitatis *δέγμα*, ita et-  
 iam, dum eo se reddit indignum, omnem nobilitatis  
 exiit splendorem perditque concessam a principe prae-  
 rogatiuam.

que obstat  
 ad adoptio-  
 ferre ne-  
 eat nobili-  
 tem.

### DIFFERENTIA III.

*Iure Romano emancipatione amittitur nobilitas,  
 quod Germanico secus.*

Romano iure filius adoptiuus per  
*emancipationem* nobilitatis iura amit-  
 tit



tit (e): Germanico vero, cum adoptiuus, quem nobilitauit princeps, e patria exit potestate, nobilitatis retinet *δέρμα* (f).

CAP. I. e

*Romano iure emancipatione amittitur nobilitas adoptiua.*

§. I.

**P**ostquam ROMVLVS urbem Romam condidisset, facile intellexit, sine legibus saluam esse non posse rempublicam. Hinc varias sanxit leges, de quibus vero hic differere nonnulla instituti non permittit ratio. Nobis enim sufficit, patriae potestatis iura dedisse Romulum patribus, quae adeo nullis circumscripta erant limitibus, vt ius vitae & necis eis in liberos, & qui ex illis nati, competeret, neque hi patria exirent potestate, nisi emancipatione. Testatur hoc DIONYSIVS HALICARNASSEVS *Antiq. Rom. L. II. Cap. 27. Romanorum*, inquit, LEGISLATOR (Romulus) omnem (vt breuiter dicam) potestatem patri dedit in filium, idque TOTO VITAE TEMPORE, siue in carcerem eum detrudere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue NECARE libeat; etiamsi filius traheret rempublicam, etiamsi magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga rempublicam laudem sit promeritus conf. CUIACIVS ad l. vlt. C. de PP. Quae cum ita sint, mirum non est IUSTINIANVM §. 2. I. de P. §. 2. I. de P. P. dixisse: nulli alii sunt homines, qui talem in liberos patriam potestatem habent, qualem nos habemus v. SCHVBARTVS de Fat. Iurispr. Rom. Exerc. I. §. 22. seqq. FRANCISCVS

Romulus R  
ma condita  
leges tulit,

& Patriam  
Potestatem i  
roduxit.

explicatur.



CISCVS BALDVINVS *ad LL. XII. Tab. C. XXXVII.* Si-  
gillatim vero omnia, quae patribus vi patriae potesta-  
tis competebant, recensere, a scopo forte esset alienum.  
Inprimis cum hoc iam praestiterit III. DN. A LVDEWIG  
*Diss. de Trebell. & Legitim. exule in Fideic. Fructuar. cap.*  
*V. segm. 1. §. 2. lit. gg. & hb. conf. etiam TABORIS Diss.*  
*de Patria potestate.*

ancipatio-  
exibant e  
P.  
na, sed ima-  
aria vendi-  
ne filius  
& emanci-  
tus,

§. II. Latii itaque iure honestissima e patria pote-  
state dimissio erat emancipationis solemnitas. Cum  
enim teste HALICARNASSEO, terna (1) filii venditione  
licuerit patri pecuniam quaerere, factum est, vt cum fi-  
lios emanciparent Romani, terna etiam, sed imaginaria,  
venditione emancipationis peragerent ritum, quem  
nobis descriptit GAIVS ICTUS *L. I. Fragm. Inst. Tit. VI. n. 4.*  
his verbis: *Item per emancipationem filii sui iuris efficiun-*  
*tur. Sed filius masculus tribus emancipationibus de pote-*  
*state patris exit & sui iuris efficitur. Mancipatio autem,*  
*hoc est manus (2) traditio quaedam similitudo venditionis*  
*est: quia & in emancipationibus praeter illum, hoc est*  
*certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius no-*  
*minatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario*  
*patri mancipat, hoc est manu tradit, a quo fiduciario pa-*  
*tre naturalis pater vnum aut duos nummos, quasi in simili-*

(1) Sunt equidem qui existimant, DIO-  
YSIVM non de veris, sed imaginariis  
Te accipiendum venditionibus ALEAN-  
ER ad CAIVM *L. I. Tit. 6. §. 6.* sed fufse  
emonstratum dedit SCHVLTINGIVS ad  
LPIANVM *Tit. 10. §. 1. n. 5.* simpliciter  
um esse intelligendum, inprimis cum ne-  
erbulum quidem de imaginaria venditione  
ddat DIONYSIVS. Quid quod potius  
fferat, Numam Pompilius tulisse legem,  
e patri, qui permisisset filio uxorem du-  
ere, ius sit vendere filium. Si igitur hoc

de imaginaria accipere vellemus venditio-  
ne, numquam hic e patris potestate exire po-  
tuisset, quod tamen iuri romano aduersum.

(2) ALEANDER legit manu traditio, quia  
hac solemnitate e manu h. e. patriae potesta-  
te dimittebantur liberi SCHVLTINGIVS  
*in Iurispr. Antiuust. ad b. l. n. 34.* Ideo autem  
*vendebatur filius, vt in seruitutem redigi vi-*  
*deretur & ita commode ei libertas daretur:*  
*nam LIBER MANVMITTI NON PO-*  
*TERAT, quae sunt verba THEOPHILI*

tudinem



tudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis nummis fiducia-  
 rario patri tradit (3). Hoc secundo & tertio fit & sic  
 de patris potestate exit &c. & VLPIANVS Frag. Tit. X. n. 1.  
 Hae postea solemnitates exoleuerunt §. 6. l. quib. mod.  
 I. P. P. solu. in earumque locum emancipatio ANASTA-  
 SIANA & IVSTINIANEA successerunt. Illam introdu-  
 xit ANASTASIVS l. 5. C. de Emancip. voluitque, vt <sup>de Anast</sup>  
 principis accedente autoritate plenissimum robur <sup>na eman</sup>  
 accipiat emancipatio, quare in c. §. 6. l. vocatur exrescri- <sup>tionem,</sup>  
 pto principis. Hanc IVSTINIANVS l. 6. C. de emanc. <sup>de Iustini</sup>  
 Permisit enim iis, qui emancipationem celebrare vo-  
 lebant, vt vel lege ANASTASIANA hoc facerent,  
 vel sine sacro rescripto intrarent competentis iudicis tri-  
 bunal peragerentque ita emancipationem v. Ilustr. DN.  
 THOMASIVS de quasi emancip. Germ. §. 31. seqq.

§. III. Qui itaque emancipatione sui iuris efficie- <sup>Emancipa</sup>  
 batur, gentem non amittebat, sed eadem adhuc, qua <sup>non amitt</sup>  
 antea, eminebat dignitate. Clarus in ea re est VL- <sup>gentem.</sup>  
 PIANVS l. 7. ff. de Senat. Emancipatum, inquit, a  
 patre senatore quasi senatoris filium haberi placet. Vt  
 itaque ex his verbis intelligamus, omnia parentum,  
 qui vel senatoria vel alia decorati erant dignitate, iura  
 his competiisse. Non enim emancipatio, sed adoptio  
 mutabat gentem, id quod ex iis quae Differ. II. c. 1.  
 diximus, luce meridiana adparet clarius. Et haec  
 quidem ita se habent, si filiusfamilias emancipatione  
 e patria exit potestate. Cum vero adoptiuus emanci- <sup>Adoptiuus</sup>  
 patur, non patris iura eiusque retinet praerogatiuam, <sup>ro emanci</sup>  
 quae omnia ei tamdiu tantum indulgent leges, quam <sup>tionem eam</sup>  
 amittit.

(3) Postquam scilicet a patre fiduciario, & manumissione e patris exhibit potest.  
 qui a fiducia contracta de manumittendo filius, post primam enim & secundam  
 filio ita fuit denominatus, erat manumif- patris naturalis potestatem redibat  
 sus. Trina enim primum mancipatione; SCHVLTINGIVS ad h. l. n. 41.



diu in patris adoptiui manet familia. Emancipatione enim nomen filii & quae inde dependent amittit, testatur hoc PAVLVS l. 6. ff. de Senat. vbi senatoris, inquit, *filius est is, quem in adoptionem accepit, quamdiu tamen in eius familia manet*: EMANCIPATVS vero NOMEN FILII EMANCIPATIONE amittit. Et imperatores DIOLECTIANVS & MAXIMIANVS l. 9. C. de Adopt: ita disposuerunt: *Adoptatum licet ex beneficio nostro, emancipatione solemnī separare a familia sua pater adoptiuis minime prohibetur*. Ne enim forte quisquam sibi persuaderet, principis rescripto adoptatum in perpetua patris remanere cogi potestate, etiam hos emancipari posse concessere imperatores v. GOTHOFREDVS ad h. l. lit. s.

CAP. II. f

*Adoptatus, quem nobilitauit princeps, emancipatione non denobilitatur.*

§. I.

**D**E Gallis testis est CÆSAR de B. G. L. VI. Cap. 19. eos dedisse patribus ius vitae & necis in liberos. *Viri in uxores, inquit, sicuti in LIBEROS VITÆ NECISQUE habent POTESTATEM*. Quod vero ad GERMANORVM mores attinet, memoriae proditum non est, eos idem IVS VITÆ ET NECIS, quod in seruos, etiam exercuisse in LIBEROS, quin potius TACITVS de M. G. Cap. XIX. perhibeat, magnum apud Germanos fuisse flagitium, si quis quemquam ex liberis necauerit. *Numerum enim, inquit, LIBERORVM FINIRE, aut quemquam ex ADGNATIS NECARE, FLAGITIVM habetur: plusque ibi boni*



*boni mores valent, quam alibi bonae leges. Quamdiu itaque filius non ea erat aetate, vt arma sumere & castra sequi posset, pars domus videbatur, id quod iterum TACITI constat testimonio Cap. XIII. de M. G. cuius verba quidem dedimus Differ. I. C. 2. §. 2. sed ea hic sunt repetenda. Arma sumere, inquit, non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffecturum probauerit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque iuuenem ornant. Hec apud illos toga, hic primus iuuentae honos: ante HOC DOMVS PARS VIDENTVR, MOX REIPUBLICÆ. Quem itaque armis dignum aestimabat ciuitas, ille eo ipso e patris quasi exibat domo, neque eius amplius, sed reipublicae pars videbatur. Quare etiam idem TACITVS c. l. Cap. 20. Dominum, ait, & seruum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus adgnoscat.*

§. II. Non itaque ex mente Romanarum legum celebrarunt Germani emancipationis solemnia. Et licet EGINHARTVS in vita Caroli M. de FRANCIS scribat: *Filios quam primum aetas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit; ex eo tamen non sequitur, hoc modo e parentum exiisse domo liberos. Quin potius iura nos doceant Germanica, filios tunc patris liberatos fuisse potestate, cum separata bona possidere inciperent, siue a patre fuerint e domo dimissi, siue noluerint diutius in eius remanere potestate, quamuis separata nondum accesserit oeconomia. Clara enim sunt verba Iuris Prouinc. Saxon. L. I. Art. XIII. Sundert der Vater und die Mutter einen ihrer Soehn oder Tœchter von ihm mit ihrem Guth, sie sondern sich mit DER KOST O-*

*Separata bonorum possessione patri exhibant potestate.*



DER NICHT, wollen Sie, nach des Vaters oder Mutter Tode ihr Erbtheil wieder ansprechen, der Bruder, gegen den Bruder, oder die benannte Tochter gegen der ausgestatteten Schwester, sie müssen in die Theilung wieder einbringen mit ihrem Eyd alle das Guth, da Sie mit abgesondert wären, ob es fahrende Haabe ist, sondern Gerade. Plura collegit testimonia Ill. DN. THOMASIVS de Quasi Emancip. Germ. §. 14. seqq. & §. 44. quae omnia

Germania  
verdam mo-  
Romano ce-  
vata eman-  
tatio.

uae huius ri-  
s causae.

hic repetenda non sunt. Id saltem monemus non deesse in Germania passim exempla, ex mente iuris Romani celebratam fuisse emancipationem. Collegerunt ea DN. de EIBEN in observ. Theor. Pract. ad l. Disq. 3. Obser. 13. & KVLPIIVS de Adopt. & Eman. Princ. §. 58. seqq. Non vero nos fugiunt causae, quae moverunt Germaniae iudices instituta sequi Romanorum & in iudiciis peragere emancipationis ritum. Postquam enim peregrinum hoc ius ex ITALIA transfisset in GERMANIAM, in eo addiscendo omnem vitae delectationem quaesiverunt Germaniae Icri, neque eis amplius curae cordique fuerunt patria iura atque consuetudines. Omnia quae dederunt aliis decisa, menti Romanarum legum mirifica quadam animi voluptate accommodarunt, & quid patriae dispoherent leges, turpiter ignorarunt. Non igitur mirum Camerae imperialis adseffores coeco quodam amore, quo complectebantur peregrinum ius, ductos, voluisse, vt in Camerae iudicio perageretur emancipatio. Ita enim KVLPIVS teste l. c. crediderunt, non potuisse Comitum A LÖWENSTEIN filiiis constituere curatorem vel tutorem, nisi iudicis autoritate e patria dimissi fuerint potestate, quod tamen tam secundum principia Romani, quam Germanici iuris falsum v. Ill. DN. THOMASIVS c. l. §. 29. seqq. Eadem etiam subest



subest ratio, quod compilatores SPECVLI SVEVICI & SAXONICI emancipationis coram iudice iniuciant mentionem. Ita enim in SPECVLO SAXON. *Speculum Saxonicum & Saxonicum emancipationis iudicia mentionem faciunt.*  
 L. II. Art. 19. *pr. statutum, der Vater mag den Sohn wohl von ihm sondern mit icht was seines Guths VOR GERICHT, das der Sohn annehmen will wie wenig es seye.*  
 Et iure Bauarico Tit. III. itidem cautum, *wann der Vater oder Anherr seinen Sohn oder Enckel vor OFFENEN GERICHTEN mit männlichen klaren ausdrücklichen Worten aus seiner väterlichen Gewalt lasset und ihm frey machet, mit sein des Sohns oder Enckels willen.* Neque defuerunt ICTi, qui, nescio quibus rationibus permoti, crediderunt, etiam Anastasianam & Iustinianeam Germanorum iure non esse incognitam emancipationem. In viam vero reduxit vehementer errantes & inter eos PENSOLDVM Ill. DN. THOMASIVS c. l. §. 38. *seqq.*

§. III. Hodiernis itaque moribus satis constat, per separatam bonorum constitutionem e patria potestate exire liberos. Iam igitur his, quae de emancipatione dicenda erant, praemissis, quaeritur: An filius adoptivus, cum exit e potestate patris adoptiui, amittat nobilitatem, quam ei fortè, patris permotus precibus, concessit princeps? Non autem necesse est ea hic denuo proferre in medium, quae iam *Differ. I. cap. 2.* tradita a nobis probataque fuerunt. Clarissime enim ex iis nemo non intelligit, priuatorum haud relinqui arbitrio, sed ad Caesaris Principumque pertinere *reseruata*, concedere, cui velint, nobilitatis praerogativam. Quamquam itaque Romanorum institutis adoptio nobilitatis iura trans mittebat ad liberos, qui ea etiam, quamdiu non emancipatione e patris adoptiui exhibant familia & potestate, fruebantur, ex iis tamen

*Adoptatus e-  
manicipation  
non denobil  
tatur.*




quae diximus facile est ad concludendum, Germanorum legibus conferre non posse adoptionem iura nobilitatis, sed solius esse principis scribere adoptato nobilitatis codicillos. Quodsi itaque liberi non amplius sunt in patris adoptivi potestate, id eis auferre nequit EMANCIPATIO, quod eis non tribuit ADOPTIO.

conclusio.

§. IV. Et haec dixisse sufficiant de NOBILITATE ADOPTIVA. Non equidem negamus, esse adhuc nonnulla de quibus differere forte non inutile fuisset atque iniucundum. Ita enim plura de antiquo adoptionum ritu & de successione adoptiuorum in feuda & allodia, itidemque an matrimonium vel maiorenitas dissoluat patriam potestatem, & quae sunt huius generis alia, in medium proferre potuissimus. Verum enim vero, cum haec omnia quidem id, quod elegimus thema, illustrent, ad scopum vero necessario non pertineant, plura de iis dicere, limites, quos nobis in conficienda hac Dissertatione praescripsimus, haud permiserunt. DEO autem O. M. pro praestito nobis auxilio deuotissimas agimus gratias eumque supplicibus veneramus precibus, velit nostris ex alto benedicere institutis, quo in eius gloriam & proximi salutem nostri cedant olim labores!

FINIS.





Ki 3189










Ki. 3149

X2369308


210











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONE ACADEMICA

DE  
Differentiis iuris  
Romani & Germanici

IN  
**NOBILITATE  
ADOPTIVA**

GRATIOSO ILLVSTRIS ORDINIS IVRECON-  
SVLTORVM INDVLTV

*PRAESIDE*

**CAROLO GOTTLIEB  
KNORRIO**

I. V. DOCTORE

*PVBLICE DISPVTABIT*

**POLYCARPVVS** *Dressig*  
HALENSIS.

H. L. *Q. C.* DIE *IVLII*  
CICID CCXXI.

HALAE VENEDORVM,  
TYPIS IOANNIS GRVNERI, ACAD. TYPOGR.

